

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum  
**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.  
**Band:** - (1752)  
**Heft:** 26

**Artikel:** Io. Iacobi Wetstenii, [...] de variis lectionibus Novi Testamenti :  
dissertatio  
**Autor:** Wetstenius, J. Jacobus  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394717>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 29.04.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

JO. JACOBI WETSTENII, Basil.

de

VARIIS LECTIONIBUS  
NOVI TESTAMENTI

(\*) *Dissertatio.*

---

CUM nihil tutò possit superstrui, ubi fundamentum non est firmum salvumque, (a) *Codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum, qui Scripturas divinas nosse desiderant.* Id ergò his pagellis mihi proposui, ut demonstrarem, Integritatem Scripturæ per Lectionum diversitatem non labefactari. In illis autem concinendis non usus fui ope illorum, qui ex professo eâ de re & prolixè scripserunt; tum quia Libri ad manus non erant; tum quia me potissimum volebam convincere, mentique meæ illam veritatem altè imprimere, id quod faciliùs me consecuturum

---

(\*) Editionem hujus Dissertationis, quam Cl. WETSTENIUS an. MDCCXIII. Basileæ sub Præsidio Viri Venerandi JO. LUDOV. FREY, S. Th. Doct. & Prof. publice proposuit, plures ob rationes hoc tempore & hoc loco iterandam esse duximus: maxime vero id eam ob rationem factum est, ut pateat, quam recte ac sobrie olim, quoad Ven. FREYGII disciplinam secutus est Auctor non indoctus, de Integritate & Auctoritate Librorum N. T. senserit atque statuerit.

(a) Augustin. de Doct. Christ. l. 2. c. 14.

rum putabam, si eam nudè meisque oculis contemplarer, quàm si scripta aliorum, quibus diu satis & cum attentione debitâ inhærere non possem, sollicitè consulerem; tum denique quòd existimarem, tam liberaliter nobis prospexisse divinam Providentiam, ut quilibet suo Marte illam veritatem, dummodò seriò de eâ cogitare velit, haud difficulter agnoscere atque invenire posset. Tu verò B. L. omnia æqui bonique consule.

## C A P U T P R I M U M.

### *De Origine variarum Lectionum in N. T.*

#### §. I.

**P**ER *Variam Lectionem* hîc intelligitur qualiscunque differentia, quâ idem Scripturæ locus in diversis Codicibus diversimodè occurrit; undecunque demum illa colligatur. Excluduntur tantum errores contra Orthographiam & vitia Typographica. Solent autem colligi 1. ex ipsis Codicibus Græcis N. T. iisque tum Manuscriptis tum impressis. 2. ex Versionibus. 3. denique ex Citationibus sive allegationibus. De primo genere hic præcipue B. C. D. agere constitui, idque eo ordine sum facturus, ut prius inquiram in earum Originem, dein quid de illis sentiendum videatur exponam.

§. 2. Diversitas talis vel *studio* orta est, vel *incuriâ Amanuensium*. Quas *studio* fecerunt iterum vel malitiosè vel proposito non malo. His causis jam suo tempore dissensus Exemplarium ad-

Scribit Origenes: (a) Πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορὰ, εἴτε ἀπὸ ραθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ πολμῆς τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γραφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκῶντα ἐν τῇ διορθώσει προσιδέντων ἢ ἀφαιρέντων. *Malitiosam corruptionem voco, quando quis præjudicio suo patrociniū in Scripturâ inventurus, illi inseruit aliquid, ex quo oriretur sensus, quem a Scriptore S. non intendi sciebat: vel quando quis erasit, quod opinioni suæ erat contrarium.* Et sanè cū Liber hic omnium tereretur manibus, potuit eum quilibet tractare pro suo arbitrio; cumque ab unâ parte summæ semper fuerit auctoritatis, ab alterâ verò variis hominum opinionibus contrarietur, facilè concipimus factum, ut hæreticī impiique ausu sacrilego Textum corrumpere tentarent. Notæ sunt ex Historiâ Ecclesiasticâ corruptelæ Marcionis, Theodoti, Hermophili, aliorumque.

§. 3. *Proposito non malo V. L. debentur plurimæ.* 1. Quando Evangelistarum unus in Historiâ Christi omisit, quod alter recenset, librarii *supplebant unum ex alio*; imò quidam ex Evangeliiis Apocryphis Hebræorum sive Ebionitarum &c integras Sectiones suis Codicibus inferebant. Exempla præsertim primi generis sunt obvia. Id jam quæstus est Hieronymus Præfat. in IV. Evangel. *Magnus in nostris Codicibus inolevit error, dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit, in alio quia minus putaverint, addiderunt.* 2. Quando eandem Historiam aliis narrant verbis, *studebant æquare eorum phrasēs, ut ita eandem rem eodem per*  
omnia

(a) Commentar. in Matthæum.

omnia modo expressisse viderentur. Simile accidit in Citationibus ex V. Testamento. 3. Quæ ipsis videbantur *obscurius dicta*, *explicabant*, idque vel integrâ paraphrasi, quod in Cod. Cantabrigiensi ejusque Variationibus observant Critici; vel unicâ voce additâ: ita sæpissimè, quando de Christo aliquid narratur, vocem Ἰησοῦς repetierunt ἀπὸ τῆ κοινῆ, vel posuerunt pro αὐτός. 4. Contra quæ ipsis videbantur superflua vel *minus necessaria*, *omittebant*. Hinc illud ὅτι παρέλκον; particulæ δὲ, καὶ, &c. item ubi ex Hebraismo pronomen αὐτός occurrit, sæpissimè in Codicibus desunt. Cumque Evangelistarum stylus valde sit simplex, quando v. g. in singulis versibus narrationis de Christo occurrit vox Ἰησοῦς, illi tautologiam hanc evitaturi eam omittunt. 5. Neglectis ipsis Scriptorum S. verbis *voces Synonymas* ac tantundem valentes *substituiebant*; quod vel studio ab illis factum est, cum putarent esse significantiores & clariores (uti modò vidimus) atque eatenus ad hanc Classem pertinent: vel incogitantia, cum in scribendo vocis lectæ prius aut in calamum dictatæ obliti, sensum tamen retinerent, scriptoque exprimerent. Hinc est Enallage Numerorum singularis & pluralis; hinc perpetua permutatio Vocum Θεός, Κύριος, Χριστός, Ἰησοῦς. Hinc illa Variatio πάντα δοκιμάζοντες τὸ καλὸν κατέχετε, pro π. δοκιμάζετε καὶ τὸ κ. κ. Ad hoc genus pleræque omnes V. L. referri possunt: Non enim multum curabant, ut ipsa verba redderent, de sensu magis solliciti. Qui etiam mos est Patrum Ecclesiæ, imò ipsorum N. T. Scriptorum, quando aliquid ex V. T. citant.

§. 4. Illæ verò V. L. quæ per *incuriam* atque ἀβελήϊαν irreperunt, præter modo dictam sunt diversi generis, quarum Origo ut clariùs intelligatur, necesse erit hypotheses quasdam præmittere. Prima est, sæpissimè alium fuisse, qui Codicem scriberet, aliumque qui dictaret. Secunda, illos eodem modo pronunciaffe η, ι, ει, υ. item ζ & σ. αι & ε. ω & ο, ita ut sono vel nihil vel parum discreparent. Tertia, ante Typographiam inventam, fuisse homines, qui mercede conducti Codices describerent. Hypotheses voco, non quasi gratis citra ullam probationem assumantur, sed quod tam evidenter demonstrari queant, ut hic tutò nobis liceat pro certis eas supponere.

§. 5. His positis videamus quid acciderit. 1. Negligentiâ sive Oscitantiâ Scriptorum factum est, quando versus aut comma sequens ab eadem voce incipiebat, quâ præcedens, ut alterum eorum *omitterent*. 2. Sæpe *voces permutatæ* sunt, ita ut una scriberetur ante aliam, quæ præcedere debuisset. Harum trajectionum aut omissionum exemplis scatent Codices, imprimis illi, qui à Calligraphis exarati sunt; hi enim, cùm hac arte suâ vitam sustentarent per Hyp. 3. in id præcipuè erant intenti, ut librum nitidè satis brevi tempore absolverent, non item ut accuratè describerent, perinde uti nunc Typographos facere videmus. 3. Quod explicationis aut memoriæ juvandæ causâ *margini adscriptum* erat, in ipsum *Textum receperunt*. Solebant enim Viri docti ad oram sui Codicis quædam interdum notare; quod etiam in omnibus aliis Libris observatur. Exem-  
plum

plum est I. Cor. XV. 31. ubi Codex Biblioth. publ. pro *in* ad marginem habet *διὰ*. Idem Codex integrum illum versum, quem post Jacob IV. 12. addit MS. Oxoniense, habet in margine; nihil autem aliud est quam (a) κεφάλαιον sive Titulus & summa eorum, quæ ibi dicuntur, quales titulos singulis Capitibus suis Græci præfigebant, ut ex eodem Codice patet. 4. *Confuderunt literas ejusdem vel similis figuræ*; hinc est quod voces *Κυρίε* & *Χριστέ* permutentur, ita enim per abbreviaturam sive compendium scribuntur (b) *κῆ* & *χῆ*. Hic imprimis peccatum est ab *Antiquariis* h. e. illis, qui vetustos describebant Codices; cum enim literæ vetustate aut casu sæpe detritæ atque deletæ essent, non poterant amplius distinctè legi, unde facilis fuit lapsus. Huc refero celebrem Variationem I. Tim. III. 16. ubi pro Θεός ἐφανερώθη alii legunt ὅς ἐφαν., alii ὁ ἐφανερώθη. Fallitur enim *Pearsonus*, qui putat, non posse mutatione unius literæ ex (c) ὅς fieri Θεός; nam ex voce OC tenuissimæ lineolæ transverso ductu oritur ΘC, ita autem scribitur Θεός in Codicibus, qui literis quadratis exarati sunt. Imò propter similitudinem literæ C in ὅς, & literæ ε, quæ prima est sequentis vocis ἐφανερώθη, fieri facile potuit, ut τὸ σ omitteretur; unde est, quòd quidam legunt ὁ ἐφανερώθη. 5. *Confuderunt literas ejusdem vel similis Pronunciationis*. Confer. Hypoth. nostras §. 4. Hujuscemodi Variationes occurrunt sæpissimè, etiam in Exemplaribus optimæ notæ; rarioꝝa tamen sunt exempla confusionis τῆ ζ & ς, quale

repe.

(a) Habet Alsted, Encyclop. p. 2249.

(b) Isidor. Hisp. l. IV. p. 132.

(c) Exposit. of the Creed. p. m. 142.

reperitur Marc. III. 27. ubi alii habent *διαγράσει*, alii *διαγράση*. Ad hanc Classē pertinent, quatenus ex voce dictantis non rectē perceptā ortum trahunt; malim tamen eas ad aliud peculiare genus referre; alias omnes illi ignorantiae atque oscitantiae accusandi forent, qui non erant Grammatici, h. e. qui eam artem non callebant, quae primis à Christo nato seculis parūm vulgò erat culta.

§. 6. Novam ergò Classē constituent illae V. L. *quae necessariò & ex naturā rei oriuntur*. Hoc volo: positā eā ratione tum pronunciandi tum scribendi, quae usitata erat, fieri aliter non potuisse, quin orientur Variationes. Si cui hoc durum videatur, rogabo illum, ut mihi distinguat voces, *seyn* & *sein* ore prolatas, & innumeras alias similes, quae sensu differunt: Si non potest, quid absurdi, contingere etiam in Scriptione, ut duae voces eodem scribantur modo, vel eadem vox diversis modis? Ut rem distinctiùs explicemus, ponimus 1. *quae ejusdem erant Pronunciationis, potuisse etiam eodem modo scribi*: id enim videmus facere omnes illos, qui ex professo Orthographiae operam non dederunt. Huc jam refero totam illam farraginem V. L., de quibus sub finem §. praeced. 2. *Libros fuisse exaratos sine spiritibus & accentibus*. 3. *Sine distinctionibus vocum, Versuum aut Capitem*; omnia cohæsisse ac si totus Liber unica vox esset, uti Elias Levita de Lege loquitur. Ex combinatione omnium trium orta est V. L. Hebr. 12. ubi pro *ὡσεὶ* legitur *ὡς ἢ* in duobus Codd. Biblioth. publicæ. Ex 1. & 2. Luc. XI. 11. legitur *εἰ* pro *ἢ*. Ex 2. & 3. Luc. VI. 9. legitur *τι* cum interrogatione & commate praecedente

dente pro τι. 1. Tim. III 16. ὁμολογῶμεν ὡς pro ὁμολογούμενος Philem. 16. ὑπερδῆλον pro ὑπὲρ δῆλον. Ex 3. est, quòd Joh. 1. 3. verba ὁ γέγονεν ab aliis ad sequentia referuntur; item quòd Joh. XI. 54. pro Εἰφραΐμ legitur Εἰφραΐμ, &c.

§. 7. Ex hac Indistinctiōe, ut ita loquar, si ortæ sunt V. L., non pauciores quoque peperit ipsa Distinctio, imprimis quæ est in ἀναγνώσεις sive *Lectiōes*. Notum est, in Veteri Ecclesiâ moris fuisse, ut certo tempore certæ ex Scriptura Pericopæ sive Sectiones plebi prælegerentur, unde peculiare munus erat Anagnostæ sive Lectoris. Cùm autem verba sectionis initialia plerumque cohærent cum præcedentibus, atque ad illa manifestè respicerent, non potuit non sensus illius Lectiōis esse abruptus atque mutilus; ut ergo isti incommodo occurrerent, solebant hæc aut similia verba præmittere: λέγει ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτῶ, quæ memoriæ iuvandæ causâ margini adscripta, tandemque ipsi Textui inserta fuere: Hinc est illa V. L. Matth. IX. 18. ἀρχων τις προσελθὼν τῷ Ἰησοῦ pro ἀρχων ἐλθὼν. Eandem ob rationem in fine Lectiōis interdum quædam addita sunt, ut scil. eo fortius imprimerentur animis Auditorum quæ lecta erant: Ita in Lucâ aliquoties: ταῦτα λέγων ἐφώνει, ὁ ἔχων ὦτα ἀκέειν ἀκκέτω: item πολλοὶ κλητοὶ, ὀλιγοὶ δὲ ἐκλεκτοὶ, &c.

§. 8. Tandem ipsis etiam V. L. *Collectoribus* originem debent non paucæ. 1. Hi enim interdum ex cerebro suo confinxerunt V. L., citaruntque Codices, qui vel nunquam extiterunt, vel in quibus id non extat quod dicunt. 2. Ipsos erro-

res Typographicos in numero V. L. habent, & quicquid à Regulis Orthographiæ abit : Quod est contra Definitionem §. 1. Perinde enim est, utrum scribas Πειλάτος an Πιλάτος, uti vidimus; nulla igitur erat ratio, cur hoc & innumera alia inter V. L. traderentur. 3. Ex Versionibus sæpè colligunt V. L. ubi vel nulla est, vel ipsa Verbo corrupta est. Prioris exemplum hoc sit : Luc. I. 47. Vulgata ita vertit : In Deo *salutari* meo; hinc colligunt Interpretem non legisse σωτήρι, uti Codices Græci jam habent, sed σωτηρίω. At malè ita colligunt; notum enim est Veteres promiscuè usurpasse voces *Salvatoris* (a) & *Salutaris*; quod si ergò Græca vox Σωτήρ Salvatorem significat, potest etiam in Versione per *Salutarem* reddi; quæ enim sunt æqualia eidem tertio, &c. Posterioris exemplum occurrit Rom. XII. 8., ubi quidam Codices Latini legunt *in solitudine*. Si quis inde inferret, in Græco Codice Interpretis extitisse ἐν ἡσυχίᾳ non verò ἐν σπουδῇ, uti in nostris extat, is sine dubio ineptè ratiocinaretur; manifestum enim est pro solitudine legendum esse *in solitudine*.

Addi his posset aliud V. L. genus, plane *irregularè*, illarum nimirum Variationum, de quarum Origine nulla potest reddi ratio; neque dubitamus, plura alia in hanc rem ex Codicibus accuratè inspectis observatum iri : quoniam verò id longiorem disquisitionem requireret, cui neque vires nostræ, neque angusti Dissertationis termini sufficerent, brevitati studentes ad alteram partem transimus.

CAPUT

(a) Vid. Pearson, p. 81.



Normâ fidei nostræ. \* Quis enim credat, dicunt, hunc Librum eumque solum continere viam salutis, resque, quas citra æternæ damnationis periculum ignorare non liceat, easque ita clarè continere, ut à quovis intelligi possint: in quo tamen omnia corrupta atque incerta sunt, ubi numerus V. L. (ex observatione quorundam,) decies superat numerum vocum; quis Oedipus (ajunt) divinaverit, quænam ex illis omnibus vera sit Lectio, juxta quam fidem atque vitam nostram instituere debeamus? Concludunt inde, aut omnem Religionem esse vanam, aut potius recurrendum esse ad Traditiones, vel ad Tribunal aliquod Ecclesiæ visibile & infallibile, quod nostræ fidei & actionum norma sit; *aliter Dominus non videretur fuisse discretus.*

§. 3. Antequam huic objectioni respondeamus, necesse est, ut nobis explicent, quid per V. L. intelligant? Videntur enim nescio quid magni istis vocibus significare velle: Si vero exempla petas, aut si eos consulas, à quibus collectæ sunt, notatum reperies, in Codice aliquo scribi Μωσῆς pro Μωσῆς, in alio Δαυὶδ pro Δαβὶδ, χριστὸς pro χριστός & sexcenta alia. Hinc illæ tenebræ, quas Scripturæ per V. L. offundi putant; hæ sunt *magnæ illæ Variationes!* Patet hinc justè nos posse conqueri, quòd fide non optimà nobiscum agant,  
cùm

---

\* R. Simon dans la Préface de la Critique du N. T. : Les grands changemens, qui sont survenus aux Exemplaires de la Bible ruinent entièrement le Principe des Protestans &c. & au I. Chap.

cùm istis vocibus aliam planè substituunt ideam, quàm nos ab initio definivimus, & usu receptum est; intelligunt enim per *VARIANTEM LECTIONEM* talem dissensum plurium Codicum, quo fiat, ut unus planè diversum dicat ab alio, & tamen impossibile sit definire, quinam ex illis veram atque genuinam Lectionem exprimat. Talesque in Scripturà dari plurimas, & quidem in locis, ubi agitur de rebus magni momenti, ut argumentum eorum procedat, statuere debent.

§. 4. Qui hoc statuunt, vel existimant, per V. L. id effici, ut multis in locis incertum dubiumque sit, quænam Lectio mentem Auctoris exprimat; vel putant, per eas totum omnino librum incertum atque obscurum reddi. Si posterius, iniquissimè agunt: provoco ad ipsum Librum, ad ipsas illas V. L., & quæro: an ulla reperta sit V. L., per quam doceamur esse impii, Mundo adhærere, Christum abnegare? annon potius, non obstante omni Lectionis Varietate, ex eo libro certò constare possit de omnibus, quæ nobis creditu aut factu ad salutem necessaria sunt? proferant aliquid ad Religionem pertinens, quod V. L. nobis eripiat. Prius ergo ad summum nobis opponere posse censendi sunt: per V. L. Scripturam multis in locis incertam reddi. Quid verò inde sequitur? Nihil aliud, quàm nos sæpe nescire, quid DEUS in hoc, vel illo Scripturæ loco nobis dictum voluerit; hoc ut evincerent, non opus erat tanto studio has Variationes undique corradere: potuissent enim ipsis Scripturæ verbis (nisi etiam in hoc ipso incerta illis atque obscura videatur) probare, multa in eà esse *δυσνόητα*

II. Pet. III. 16. Agamus autem cum illis liberaliter, & supponamus, dimidiam, vel majorem hujus libri partem nobis obscuram esse; quid inde conficitur? An sequitur totum obscurum esse, quia pars talis est? vel si pars una vitio hominum reddita est inutilis, an altera non potest continere res summi momenti? Si negent, dicant nobis, quid demum alicujus momenti sit, probentque, vel unicam rem scitu esse necessariam, quæ non clarè in hoc libro contineatur. At si ex V. L. non sequitur, Scripturam omnino incertam esse atque inutilem, multò minus inde elicietur vel Papæ infallibilitas, vel Atheismus. Quid enim? si de multis Scripturæ locis incerti dubiique sumus, an inde sequitur, certum, esse aut minus dubium, quòd DEUS non existat, quòd Papa sit infallibilis? perinde hoc esset, ac si quis probaret, mutum semper loqui, quoniam alii nonnunquam tacent.

§. 5. Istud etiam Quæro, ut novà suà eos urgeam Methodo: cur egregiam istam Consequentiam nemo viderit SS. Patrum? (a), „ Etenim „ ex SS. Patribus non pauci ex professo Scripturas explicarunt. & exactè pertractarunt: unde „ fieri non potest, ut consequentia putetur firma „ & evidens, quæ nulli SS. Patrum fuerit visa. „ Fateantur ergo Adversarii, conclusionem propositam nulli SS. Patrum fuisse visam, & consequenter non esse evidentem, &c. Au verò hoc, vel simili argumento fuerint usi Patres, necne, facile est judicare ex loco Augustini, ubi respondet Manichæo objicienti: (b) *falsum esse scriptum. Quid, inquit, ista voce impudentius? quid audacius?*  
quid

(a) Walenb. Method. §. 99.

(b) De morib. Eccl. Cathol. lib. 1. cap. 29. per totum.

*quid sceleratius? simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequentur namque omnium literarum summa perversio, & omnium, qui memoriæ mandati sunt, librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum & temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiae quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere. Illud verò quis ferre possit, quòd nos notissimis ac jam in manibus omnium libris constitutis credere vetant, & iis, quæ ipsi proferunt, imperant, ut credamus? At si-  
**AUCTORITATIS EXAGGERATIONE** cogis in fidem: Egone de Scripturâ, quam constanter latissimè divulgatam video, & Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione firmatam, dubitabo miser? .. nihil te proferente. præter inanissimam vocem, temeritatisque plenissimam, putabis usque adeo genus humanum esse perversum, & divinæ Providentiæ ope desertum, ut illis Scripturis. tua tantum verba præponat?*

§. 6. Tantum autem abest, ut, evictò per V. L. Scripturam ad decidendas Controversias redditam esse inutilem, Ecclesiæ, vel Papæ infalibilitas confirmetur, ut potius per hoc ipsum destruat. Dicunt, variare Lectionem Scripturæ, illam ergo non posse Normam esse Controversiarum Religionis: Hoc verò argumentum contra illos multo fortius retorqueri potest; quæro enim, an certum sit, nunquam variasse opiniones Ecclesiæ à nato Christo in hunc usque diem? an majori curâ Traditio ab Ecclesiâ conservata fuerit, quàm ipsum DEI verbum? vel an nullæ, aut pauciores reperiantur V. L. in Decretis Papa-

rum, aut Conciliis, aut Scriptis Patrum? Cùm nemo hæc affirmare audeat, jure mihi concedi postulo: non minus variare Papas, Concilia, & Patres, h. e. Ecclesiam & Traditionem, quàm verò Scripturam S. Unde evidenter sequitur, Papam &c. non magis Judicem Controversiarum esse posse, quàm Scripturam. Idem etiam hoc modo demonstramus. Fatentur nobiscum, Libros N. Test. esse à DEO datos Ecclesiæ Christianæ, eum in finem sine dubio, ut conservarentur; quod enim alicujus fidei creditur, non creditur, ut ejus culpâ pereat, aut corrumpatur, sed ut studiosè custodiatur. Jam dico: Ecclesia aut potuit illos Libros conservare, aut non potuit. Si *negent potuisse*, accusant tum justitiam DEI, quasi aliquid ab Ecclesiâ suâ exigat, quod præstare non potest; tum sapientiam, nemo enim sapiens thesaurum suum illi credet, de quo constat, quod eum custodire non possit; sequeretur etiam contra hypothésin, DEUM noluisse, ut conservaretur, non potest enim velle ea, quæ sunt impossibilia. Si ergo Ecclesia *potuit* Libros istos nobis conservare integros, nec tamen id fecit; (quod isti Dd. statuunt) si neglexit impedire, quo minus Verbum DEI nobis periret, id gravissimum sine dubio fuit scelus; quibus autem ridiculis inde Ecclesiæ Infallibilitas elicietur? Profectò lepida hæc & planè *Nova* foret *Methodus* afferendi alicui titulum Infallibilitatis! Res eodem redibit, si cum quibusdam per Ecclesiam intelligas solum Papam.

§. 7. Si hoc velint, opus saltem esse Judice Infallibili, qui dicat, quænam ex variis illis Lectionibus alteri sit præferenda; probent nobis, 1. DEUM velle,

velle, ut hoc sciamus; si enim id vellet, videtur nunquam potius permissurus fuisse, ut V. L. irreperent, nosque incertos redderent. 2. Aliter cognosci non posse quam per Judicem perpetuo subsistentem. 3. Tandem illum Judicem esse Ecclesiam R., vel Papam. Si enim hoc illorum est officium, quomodo tot V. L. unquam oriri potuerunt, cum semper extiterit Ecclesia, vel Papa? qui fit etiam, ut duo Papæ eundem locum diversimode citent? cur in ipsâ Editione *Authenticâ*, id est, Latinâ, tot occurrunt discrepantiæ? Si dicant, omnes jam sublatas esse per Decisionem Concilii Tridentini, quòd veram atque unicam Lectionem constituerit: agnoscunt ergo, ante id tempus Ecclesiam Papasque defuisse officio suo; præterea notamus; 1. Concilium Decreto satis ridiculo declarasse Codicem authenticum, qui tum nondum extabat, & 50. demum annis post illud decretum editus fuit. 2. Veram Lectionem definiisse non Judicem infallibilem, sed (a) *Cardinales aliquot, aliosque, tum SS. Litterarum, tum variarum Linguarum peritissimos viros.* Aut igitur isti Viri rationibus sufficientibus adstruxerunt, suam Lectionem veram esse, aut non. Si prius; manifestissimè inde fluit, posse nos de vera Lectione certos esse citra decisionem Judicis infallibilis, neque magis talem decisionem requiri, quàm nunc eâ mihi opus est, ut credam, diem esse: hoc verò objectionem planè subvertit. Si posterius, si non certa aliquà ratione adducti, sed pro arbitrio suo aboleverunt atque annihilarunt omnes Lectiones reliquas præter unicam, contra rationem, adeoque malè & erronee judicarunt; quic-

O 4

quid

(a) Ex Præfat. Bibliis præfixa.

quid enim sine ratione fit, contra rationem fit. Neque quisquam sibi persuadebit, casu fortuito illos semper veram Lectionem assignasse; cum DEUS non juvet eos, qui talento suo non utuntur. Ergo etiam malè judicavit Synodus, decernens, illos sequendos esse; saltem ad hæc omnia requiritur Infallibilitas.

### C A P U T T E R T I U M.

*Quænam sit nostra de V. L. Sententia?*

#### §. I.

CONFUTAVIMUS sententiam nostræ oppositam, h. e. ostendimus, nullis eam nixam esse rationibus, nihilque juvare causam Pontificiam, aut reliquas eorum opiniones, etiamsi ejus veritas supponeretur: superest, ut Nostram directè adstruamus, nimirum Libros N. T. hodiernum extare genuinos atque integros; quo facto simul sublatae erunt omnes illæ difficultates atque suspiciones, quæ in contrarium à quocunque moveri possent. Istud verò præstare, non est difficile. Rogabo tantum istos homines, an credant, ullum librum hodie extare integrum, cujus quidem Autographum perierit? Si negent; Pyrrhonismum in universam Historiam introducunt, non amplius credendum erit, Homerum, aut Herodotum, aut Ciceronem scripsisse illos libros, quos illis hodie adscribimus, sed alios ab his planè diversos: quod quàm omnem in rebus humanis certitudinem tollat, nemo non videt. Si ergo credunt, aliquem nos habere Librum integrum, sine dubio id facient

cient propter rationes quasdam, per consequens tenentur idem credere de alio quocunque Libro, si eadem adsint id credendi rationes. Dico autem, easdem omnes rationes Libris N. T. applicari posse, quæ pro ullius Libri integritate afferuntur; id quod quilibet experiri potest.

§. 2. Habemus præterea etiam argumenta, his longè validiora, majoremque certitudinem parientia. Supponimus hic quemvis hominem, qui debitâ *διαθέσει*, præjudiciis vacuus ad Lectionem Scripturæ accedat, non posse non in eâ deprehendere signa divinitatis ejus manifestissima; (ut vel hinc pateat, non adeò corruptum esse Librum istum, quàm vellent;) qui de eo nondum convictus est, adeat Auctores, qui ex professo eâ de re scripserunt, aut potius ipse ejus periculum faciat. Si autem divinus est Liber, si datus est eum in finem, ut hominem perfectum reddat, & ad omne opus bonum instructum, quis dubitabit, *Providentiam DEI* illi peculiari modo invigilare? qui homini prospicit de rebus ad hanc vitam pertinentibus, quanto magis conservabit id, quod eum tum in hac, tum imprimis in alterâ vita summè beare potest? sanè si DEUS est, & si Mundus regitur Providentiâ, in isto sese imprimis exerere debet. Cumque DEUS semel hunc Librum Mundo gratiosè concesserit, quænam posset esse causa, cur illius corruptionem universalem permetteret? an peccata hominum? imo potius hæc fuit causa, cur daretur iste liber; præterquam quod hoc modo posteri punirentur citra omnem suam culpam, si propter peccata majorum suorum Scriptura corruptioni traderetur; quod est contra-

dictorium. Concludo igitur, illas rationes, quæ DEUM moverunt, ut Librum hunc daret, eadem manere & probare, quod illum integrum conservaturus sit; eadem enim semper est DEI bonitas, ejusque dona sunt ἀμεταμέλητα.

§. 3. Hoc argumentum posset sufficere, cum sit ad omnium captum accommodatum, & à quolibet formari queat etiam ignarissimo; reliqua vero cognitionem Historiæ requirant: Ut tamen res in clarissimâ luce constituatur, consideremus porro, cuinam isti Libri à DEO dati, cujusque fidei crediti sint? nimirum *Ecclesiæ*, h. e. non paucis quibusdam, non soli Papæ, aut Cardinalibus, aut Episcopis, ed omnibus omnium successivè temporum ac seculorum Christianis. Quid vero isti de hoc Libro sentiunt? qualem de illo habent ideam? Credunt omnes, esse Librum θεόπνευστον, summâ cum reverentiâ tractandum, & studiosissimè custodiendum; τὰ τῆς καινῆς διαθήκης βιβλία. τῆς πίστεως ἡμῶν ὄιον εἰ ἀκροθίνια, ἢ ἀγκυραὶ, ἢ ἔρεισματα, ut ait Athenasius. De hac illorum persuasione dubitare non potest, qui vel à limine Scriptores Ecclesiast. salutaverit. Inde vero sequitur, non potuisse tantam vel malitiam, vel negligentiam in eos cadere, ut corrumpent, aut corrumpi paterentur Librum, quem tanti faciunt; per Consequens, Liber iste est integer.

§. 4. De Veritate hujus asserti ut convinca-  
mur, distinctius videamus, quomodo se gesserint  
Christiani adversus illos, à quibus huic Libro ma-  
ximè metuendum erat, h. e. adversus *Hæreticos*  
atque *Persecutores*. Illi Scripturas studebant

corrumpere: Christiani contra longè majori studio illis resistebant, earumque Integritati invigilabant; hinc in id imprimis incumbabant, ut illos manifestæ fraudis redarguerent, provocando ad antiqua exemplaria: (a) ἔχομεν δείξαι, ὅτι ἐν ὅλοις τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἔτω γέγραπται. Falsariis vero objiciunt: δείξαι ἀντίγραφα, ὃθεν αὐτὰ μετεγράψαντο ἐκ ἑχθρῶν. Ita etiam ratiocinatur Irenæus, & Tertullianus advers. Marc. l. IV. c. 2. Ego, inquit, *meum dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur &c.* Notatu etiam dignissimum est illud Dilemma Eusebii, quo probare vult, summæ audaciæ facinus esse, corrumpere Scripturas: (b) ἢ γὰρ ἐπιστεύουσιν ἀγίῳ Πνεύματι λελέχθαι τὰς θείας γραφάς, καὶ εἶσιν ἀπίστοι. ἢ ἑαυτὰς ἠγῶνται σοφωτέρους τῶ ἀγίῳ Πνεύματος, καὶ τὸ ἕτερον ἢ δαιμονῶσιν; quod etiam post eum Hieronymus urget Proæm. Epist. ad Titum: *Eos aliquâ ex parte ferremus, si saltem in Novo Test. continent manus suas, & non auderent Christi vel Evangelistas violare, vel Apostolos. Nunc verò cum & Evangelia ejus dissipaverint, & Apostolorum Epistolas miror, quomodo sibi Christianorum nomen audeant vendicare?* Hinc cum Celsus objiceret, Christianos pro lubitu mutare Scripturam, ut ita objectiones erroris eam arguentes eludant: (c) τινὰς τῶν πιστευόντων - μεταχράττειν ἐκ τῆς πρώτης γραφῆς τὰ

(a) Athanas. Dial. c. 124. Euseb. H. E. L. V. cap. 28. & cap. 8.

(b) Lib. 8.

(c) L. 2. c. Cels. p. m. 77. 78.

τὸ εὐαγγέλιον τριχῆ καὶ τετρωχῆ καὶ πολλαχῆ, καὶ μεταπλάττειν, ἵν' ἔχοιεν πρὸς τὸς ἐλέγχους, ἀρνεῖσθαι: respondit Origenes: μεταχαράξαντας τὸ εὐαγγέλιον ἄλλως ἐκ οἴδα, ἢ τὸς ἀπὸ Μαρκίωνος καὶ τὸς ἀπὸ Οὐαλεντίνου, οἶμαι δὲ καὶ τὸς ἀπὸ Λεκιανῶ - ἢ τῶ ἀληθινῶ χριστιανισμῶ ἔγκλημα εἰσιν οἱ μεταχαράτοντες τὰ εὐαγγέλια, καὶ αἰρέσεις ξενὰς ἐπεισάγοντες τῷ βελήματι τῆς Ἰησοῦ διδασκαλίας.

§. 5. Ex his testimoniis varia pro Integritate Scripturæ argumenta cudimus firmissima. Si Scriptura alicubi fuisset malitiosè corrupta, vix illud latere potuisset Originem, Virum, qui omnem ætatem suam in eâ triverat, cui omnium Hæreticorum opiniones cognitæ erant, qui artem Grammaticam ad unguem callebat; cùm ergo hic bonâ fide dicat, (eum enim mentiri voluisse, nullo modo sit probabile) paucos quosdam Hæreticos, Marcionem putà &c. Scripturam corrumpere fuisse aggressos: ab alterâ vero parte istorum corruptelæ statim detectæ fuerint; sequitur, Scripturam temporibus difficillimis conservatam fuisse integram; si vero unquam corrumpi potuisset, aut corrupta fuisset, tunc sanè id accidisset. Porro cùm semper fuerint Christiani, Scripturam S. possidentes, sequitur, illam apud eos semper custoditam fuisse integram; Christianus enim non est, qui Scripturam corrumpit. Denique si secuti sunt Lectio-nem veterum Exemplarium, ergo veram habuerunt; aut quænam demum vera erit Lectio? si minutias objecerunt Hæreticis, & Variationes non magni momenti, quanto minus fuissent permitturi, ut magna mutatio, aut corruptio in Scriptura fieret? Si vero tanto caverunt studio, ne fraude

corrumperetur, qui concipi potest ab alterâ parte, tantâ eos peccasse negligentia, ut eodem planè modo Scriptura fuerit corrupta, ac si studio fuisset factum? Profecto injuriam facit humano generi, qui tam ridiculam stultitiam in tot homines cadere posse existimaret.

§. 6. Videamus jam, quomodo in *Persecutionibus* sese gesserint. Imp. Diocletianus præceperat Edicto, ut Sacri Codices flammis absumerentur: (a) ἠπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα-τὰς γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ γενέσθαι προσάσσοντα. Cumque *dies Septimus Calend. Mart. illuxisset*, . repente adhuc dubiâ luce ad Ecclesiam Præfectus cum ducibus & tribunis & rationalibus venit; & revulsis foribus-Scripturæ repertæ incenduntur &c. Jusserat etiam Imperator, ut ab omnibus traderentur, ratus scil., nec immerito, in illis arcem Relig. Christ. sitam esse. Quid vero ad hæc Christiani? an Codices illos, tanquam corruptos atque inutiles, facile tradiderunt? minimè. Imo quævis potius supplicia passi sunt, quàm Libros suos traderent; traditionem autem pro abnegatione Religionis reputantes illorum communionem vitârunt, qui metu territi illos fortè tradidissent. Hinc tam odiosum nomen *Traditorum*, tamque frequens apud Augustinum querela (b) *de Crimine Traditionis*; *de sceleratâ Codicum Traditione, quam DEUS in Regem, qui Hieremiæ Librum incendit, morte publicâ vindicavit.* Imo etiam Traditores à muneribus Ecclesiasticis sunt exclusi, ita ut (c) *Sylvanus*  
hono.

(a) Euseb. H. E. l. VIII. c. 2. Lactant. de Mort. Persecut. §. 12.

(b) Epist. 171.

(c) Contra Crescon. l. 3. cap. 30.

*honorem habere in parte Catholicâ nullum posset, tam manifestis Traditionis suæ gestis publico iudicio reseratis. Imo hinc tandem gravissimum Donatistarum Schisma ortum est, dum altera pars alteri communionem cum Traditoribus objiceret, illa vero pro summo convitio haberet &c.*

§. 7. Patet inde, quàm firma atque efficax in animis Christianorum fuerit persuasio de Integritate Scripturæ. Si vero id bonâ fide crediderunt, an putamus, tam stultos fuisse, ut citra omnem evidentiam id crederent? & propterea omnibus sese periculis exponerent? annon maximè eorum intererat, id accuratè cognoscere? quis unquam tam demens fuit, ut, quod ajunt, carbonem pro thesauro studiosissimè, etiam cum periculo capitis sui, custodiret? ut sibi de re gravissimi momenti facilè imponi pateretur? Quod si ergo integros habuere Codices, anne probabile est, per eos ipsos fuisse corruptos, qui pro eorum integritate omnia sunt perpessi? istine filios nepotesque suos deciperent, aliosque ad illos transmitterent Codices, quàm receperunt? Hoc sanè apud omnes, qui sanâ mente pollent, pro Axio- mate admitti debet: Impossibile esse, ut is, qui de Libri Divinitate atque Integritate est persuasissimus, ejusque conservandi causâ omnes cruciatus ferre paratus, ut is, inquam, hunc ipsum Librum tam irreverenter tractet, ut illius culpâ corumpatur. Ex quo, si præsentî casui illisque, quæ jam dicta sunt, applicetur, evidenter sequitur, Scripturam esse integram.

§. 8. Locus ille Eusebii atque Lactantii, quem

quem modo citavimus, aliam nobis observationem in mentem revocat; scil. (a) *in Templis* asservatos fuisse Codices S., usibus Ecclesiæ destinatos; hi coram toto Cœtu *legebantur* assiduè; unde factum, ut non pauci existerent, qui aut integros Libros, aut saltem partem illorum memoriâ tenerent, cujus varia exempla apud Eusebium occurrunt. Etiam si ergo per impossibile supponeretur, omnes aliquando Codices fuisse corruptos, nondum tamen ideo Vera periisset Lectio, tunc enim dici de illis posset :

*Sanctarum intereant numerosa Volumina Legum,  
Hi, per quos subito restituantur, erunt.*

Ex hoc ipso etiam concludimus, corruptionem talem esse impossibilem; quis enim unquam in Ecclesiâ tantam usurpavit potestatem, ut ipsi in omnibus Christianorum Templis quævis pro lubitu mutare licuerit? Fateor, si Liber iste in paucorum manibus fuisset versatus, si raro fuisset lectus, si neglectus, aut non magni æstimatus, conciperemus aliquo modo, qui corrumpi potuerit: At vero, cum hic contraria sint omnia, liquet, aut neminem unquam tam stultum fuisse, qui id aggrediretur, aut saltem tale consilium non potuisse non esse irritum.

§. 9. Si Scriptura corrupta est, corruptio ista aut quosdam tantum invalit Codices, aut omnes omnino, (b) *tamque funditus deletum est Evangelium, ut cataclysmo quodam, ita inundatione falsario.*

(a) Vid. Suicer. Lexic. p. 790, 791, a.

(b) Lib. c.

*fariorum obliteratum*, ut loquitur Tertullianus. Si prius; hoc Integritati Scripturæ nihil officit; nam saltem in reliquis vera extabit Lectio; quomodo autem ab aliis dignoscenda sit; alia est Quæstio ex Criticâ decidenda. Posterius, nisi summum miraculum contigisse statuatur, planè est impossibile; Scimus enim, Codices unâ cum Religione Christianâ statim per orbem Terrarum sparsos fuisse atque diffusos, & in alia Idiomata versos; licet ergo aliquis aggressus fuisset, corrumpere Codices totius Orientis, semper integri mansissent, qui in Occidente erant, & vicissim. Hoc argumento pugnat Hieronymus: (a) *Luciano & Hesychio non profuit in Novo Instrumento quid emendasse; cum multarum gentium Linguis Scriptura ante translata doceat, falsa esse, quæ addita sunt.* Neque fieri potuit, ut omnes unanimi consensu in fraudem conspirarent, præterquam enim quod Christiani longè aliter erga S. Scripturam fuerint affecti; (ut §. 3. visum,) dici non posset, cui bono tantum facinus patraverint: aut dicendum esset, omnes conspirasse in id, ut se ipsos posterosque suos deciperent, hunc illorum fuisse scopum. Hoc etiam addimus, Christianos statim in varias Sectas fuisse divisos; hinc licet una forte in fraudem consensisset, tantum abest, ut altera eam juvisset, ut potius fraudem detegere totique Orbi exponere summopere allaborasset. Dicere, omnes Libros incuriâ & casu eodem modo fuisse corruptos, est asserere id, quod moraliter est impossibile. Si quis vero putet, hoc potuisse accidere, ut casu sensimque omnes Codices integri perirent, ita ut nunc non nisi corrupti supersint, idem ad

(a) Præf. in 4: Evangel.

ad hoc respondeo, moraliter id esse impossibile, propter easdem rationes, uti cuilibet attendenti patet.

§. 10. Si corruptio invasit Codices, aut omnes, aut plerosque, aut talis, quæ nos de Verâ Lectione incertos reddat, *quandonam* id factum est? an ipsi Scriptores S. diversas suorum Librorum Editiones in diversas Mundi plagas emiserunt? vel an brevi post id contigit, cum adhuc extarent illorum *αὐτόγραφα*? an (a) *Evangelium à Tiberianis ad Antoniniana tempora eversum* est, ut Tertullian. Marcionem ridet? an tempore Persecutionum; cum omnes mortem pro illo oppetere essent parati? an postquam Imperium ad Christianos esset devolutum, h. e. sub Constantino M., cum appellatio Traditoris summæ ignominia loco haberetur, (vid. §. 6.) cum Historiæ atque exempla martyrum in omnium ore ferrentur, cum Imperator (b) Eusebio Viro Doctissimo manderet, ut 50. Codices divinæ Scripturæ accuratè atque venustè conscribi curaret? Ulterius ut progrediamur, non necessum est, cum extent etiamnum Codices, quorum ætas ad illa usque tempora ascendit.

§. 11. Tales Variationes, quæ Textum incertum corruptumque reddant, aut nullas dari, aut paucissimas, patebit, si ea, quæ de Origine V. L. Cap. 1. dicta sunt, repetamus. *Unde enim ortæ essent?* an ex malitiâ hominum? hoc probavimus esse impossibile: an ex causis §. 3. dictis? at cum omnes illæ mutationes factæ sint stu-

Tom. VII.

P

dio

(a) Loco c.

(b) Euseb. de Vit. Constant. L. IV. cap. 36. 37.

dio illustrandi Scripturam, non potest concipi, quomodo eo ipso corrupta fuerit; imo tantum abest, ut hæc obscuritatem Scripturæ concilient, ut potius illam explicent, & Commentarii non spernendi loco habenda sint: potuit quidem accidere, ut aliquis errore deceptus putaret, duas voces esse synonymas, cum non essent, easque permutaret; istud vero non potuit non rarissime accidere, & tanquam absurda Lectio facile cognoscitur. An propter Omissiones? hæc facile suppleantur, cum de illis non difficulter constare possit. An ex confusione literarum similium? at moraliter est impossibile, ut casu utraque Lectio eidem loco quadret, unde adhibitis regulis nostris falsa rejicienda est. An ex illis incommodis, quæ Scriptionem necessario comitantur? ex hoc si aliqua magni momenti variatio oriri posset, obiectio contra omnes Libros valeret, imo probaret, inepte illos agere, qui Libros conscribunt. An propter initium vel finem Lectionis? talis diversitas in sensu nihil mutat. An per Collectores V. L.? at horum error facile detegitur. Cum igitur institutione non deprehendamus causam aliquam corruptionis Scripturæ, confirmamur in sententiâ nostra & concludimus, Scripturam esse integram.

§. 12. Consideravimus, quid Christiani omnes in genere pro asserendâ Scripturæ integritate præstiterint: tanto autem quisque majorem hæc in re adhibebat curam, quanto aliis eruditione erat præstantior. Notandum enim est, Ecclesiam primitivam habuisse *Viros Doctissimos*, tum in omni Scientiarum genere, tum imprimis Grammatices cognitione celeberrimos. Videamus igitur, quomodo isti Doctores hanc suam artem Codici

S. applicuerint. Celebratur hac in re *Ammonius* Alexandrinus, qui Sec. III. floruit; hic Harmoniam Evangelistarum concinnavit; (a) eumque in finem IV. Evangelia distinxit in suos τίτλους & κεφάλαια, quorum illi nostris Capitibus, hæc Versibus ferè respondent. Hunc secutus *Eusebius* Harmoniam istam in Compendio exhibuit, inventis (b) X. Canonibus, quorum usus tum etiam apud Græcos (ut ex MMS. patet, & Erasmus in suo N. T. expressit) ita invaluit, ut etiamnum de ratione & numero illorum τίτλων & κεφαλαίων nobis constet. Quod isti præstiterunt in Evangeliiis, id in Actis & Epistolis imitatus est (c) *Euthalius* Diaconus, qui initio Sec. V. vixit. Hic primus (ut ipse fatetur) libros istos conscripsit σιχνδόν, sive per versus, ex quo scribendi more orta est σιχομετρία, h. e. ut in fine cujusque Scripturæ libri accuratè annotaretur, quot ille versus contineret; uti in MS. Codic. videre est. Porro illos distinxit in certa capita, quibus præfixit titulos significantes in Compendio, quid in quovis Capite contineretur, quod vocat ἀνακεφαλαιώσαθαι; denique scripsit κατὰ Προσῳδίαν, h. e. accentus vocibus apposuit.

§. 13. Alter illorum labor fuit *Emendatio*, h. e. collatio Codicis cum eo, ex quo descriptus est, aut cum aliis bonæ notæ, errorumque correctio. Hæc enim æquè pars erat (d) Grammatices,

P 2

ac

(a) Euseb. Epist. ad Carpian.

(b) Præf. ad Damas.

(c) Ad Athanas. MS. Bibl. publ.

(d) Sueton. de Grammat. §. 24.

ac *Distinctio*, & ad conservandam Scripturæ integritatem magis necessaria; Hæc adhibebatur in aliis quibuscunque Libris; etiam in Græco V. T. ab Origene, imo ab ipso Eusebio. De hac, tanquam de re usitatâ atque notâ, loquuntur Scriptores Eccles., apud quos frequens occurrit mentio τῆς διορθώσεως τῶν γραφῶν; hujus Emendationis Scripturarum S. regulas tradit *Cassiodorus*, (a) *istud*, inquit, *genus Emendationis valde pulcherrimum est, & doctissimorum hominum negotium gloriosum.* Et p. p. *Duorum, vel trium priscorum emendatorumque Codicum Auctoritas inquiratur; scriptum est enim: in ore duorum, vel trium stabit omne verbum.*

Quantum omnes isti labores ad Integritatem Scripturæ conservandam fecerint, ostendere non est difficile; quoniam vero ad alia nobis est trans-eundum, hoc saltem petimus, ut consulantur illi Auctores, qui ex Masorâ Judæorum Integritatem Scripturæ V. T. prolixè probarunt, patebit idem *ratiocinium*, paucis mutatis, æque valere atque procedere pro N. T.

§. 14. Fuerunt hæcenus argumenta externa, probantia à priori impossibilitatem corruptionis; superest ut etiam ex Inspectione ipsorum horum Librorum demonstremus, talem corruptionem actu non contigisse. Si Libros, quibus constat Scriptura, conferimus, aut singulos secum ipsis, aut cum reliquis, priora cum posterioribus &c.; deprehendimus, miro omnia cohærere nexu, ita ut non possit pars aliqua notabiliter luxari, quin  
Har.

(a) De Div. Lect. Integro c. 15. vid. & c. 30.

Harmonia illa, quæ in toto Libro observatur, pereat. Oportet ergo, ut aut nihil amplius superlit genuinum, quod est absurdum: aut ut totum tale sit. Clarius id patebit, si consideremus, quid accidere debeat ex hypothese, quam impugnamus; ea enim si vera esset, omnia secum pugnare deberent. Contrarium cum *auto-lia* doceat, constat Libros superesse integros. Hoc est illud argumentum, quo Tertullianus Marcionem fraudis convincit: (a) *Confirmavit non fuisse corrupta, quæ non putavit emendanda. - Si ergo apostolica integre decurrerunt, Lucæ autem, quod est secundum nos congruit. Regulæ eorum jam & Lucæ constat integrum decurrisse usque ad Sacrilegium Marcionis. Deniquè ubi manus illi Marcion intulit, tunc diversum & æmulum factum est Apostolicis. Igitur dabo consilium discipulis ejus, ut aut & illa convertant, licet serò, ad formam sui, quo cum Apostolicis convenire videatur, aut erubescant de Magistro ubique traducto.* Extant etiamnum Versiones antiquissimæ, Syriaca, Latina, Gothica, Codices etiam Græci MMS. à mille retro annis, & quod excurrit, exarati. Habemus Scripta Patrum, qui per omnia à nato Christo secula floruerunt, atque in Scripturis citandis sunt frequentissimi. Hos ergo Libros si institutâ diligenti Collatione inter se comparemus, & tunc deprehendamus, in plerisque omnibus eos convenire, ita ut nulla magni momenti sit diversitas; quænam major evidentia desiderari potest?

Possimus eandem hanc Veritatem aliis etiam

P 3

mo.

(a) L. c.

modis demonstrare : Veritas enim fœcunda est , & undiquaque prodit ; ne vero nostra Dissertatio justo fiat proluxior , hoc in genere notamus : *Tanto cuius de Integritate Scripturæ constare evidentiùs , quanto majorem Histor. Eccles. sibi comparet cognitionem.* Contrarium deberet observari ex opinione adversariorum nostrorum ; error enim & mala causa eo clariùs se produnt , quo accuratior adhibetur inquisitio.

§. 15. Id autem existimamus nos probatum dedisse : Libros N. T. esse integros , hoc est ,  
 1. Non invalisse omnes Codices Lectionem , quæ diversum fundat sensum ab eo , quem Scriptor S. intendebat. 2. Non ita variare Codices in re alicujus momenti , ut incertum planè sit , quænam Lectio alteri sit præferenda. 3. In reliquis non tot esse Discrepantias , ubi de verâ Lectione relinquamur dubii , quot vulgo creduntur. Duæ autem Regulæ generales magni hac in re possunt esse usus. 1. *Lectio , quæ scopo , antecedentibus , aut consequentibus , locisque parallelis non congruit , rejicienda est : præferenda , quæ contra.* Hanc regulam in magnâ latitudine accipimus , h. e. ut quævis Lectio , prout magis , vel minus congruit , magis etiam minusve pro verâ Lectione habeatur. Hoc æquitas naturalis jubet , ut nemo censeatur absurdè esse locutus. Exempla , quibus Regulam hanc applicare queas , passim occurrunt ; unicum proferam ex Actor. XXI. 27. , ubi Cantabrig. legit : *συντελεσμένης δὲ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας , completo die septimo ;* quæ Lectio si recipiatur , mentitus fuisset Paulus coram Judice & accusatoribus suis in re  
 mani-

manifestâ citra ullam causam Actor. XXIV. II., quod absurdum; nam secundum hanc Lectionem eo tempore, quo Paulus profectus erat Hierosolymam, elapsi fuissent dies 15.; cum tamen ipse dicat: *Non plures esse 12. diebus.*

2. *Standum est pluralitate Codicum.* Confirmatur hæc Regula per præcedentem; videmus enim, omnem Lectionem absurdam destitui consensu prium Codicum. Confirmatur etiam ex omnibus illis, quæ dicta sunt; nam nullo modo concipi potest, quomodo error omnes, aut plerosque Codices invaserit; quod si enim aliquis suum unicum, aut malitiâ, aut incuriâ corripit, reliqui tamen omnes salvi manserunt; evidens autem est, ex omnibus illis integris simul sumtis multo plures describi debuisse alios Codices, quàm ex illo unico.

Hac ratione si illæ Codicum diversitates tractentur, si ea Lectio pro Variante non habetur, quæ Vera non esse deprehenditur, numerus earum redigetur ad paucissimas, imo vix unicus restabit locus, ubi tot omnino argumenta pro unâ Lectione reperiantur, quot pro alterâ, quin semper aliqua ratio decisura dubiumque sublatura sit; adeo ut, quo quis est Doctior atque *Κριτιώτερος*, eo etiam majorem de Verâ Lectione habeat certitudinem. Ex quibus omnibus conficitur, quod Scriptura sit integra, tantæ esse evidentiae, quanta ab homine non planè iniquo desiderari potest. Concludo Verbis Salviani: *Nos ergo Scripturas*

*sacras plenas, (a) inviolatas, integras habemus. Nos bene legimus. Atque* **UTINAM, QUAM BENE LEGIMUS, TAM BENE ADIMPLEREMUS!**

(a) De G.bernate. DEI; L. V. p. m. 86.

